Statuta in admissione Baccalaureorum in artibus legenda, ad quorum observationem singuli tenentur virtute juramenti.

I. PRimus annus Rhetoricam docebit, secundus & tertius Dialecticam, quartus adjungat Philosophiam; & artium istarum domi forisque, pro ratione temporis, quisque sit auditor. In hoc quadriennio bis quisq; disputato in publicis scholis, bisque respondeto in suo grege: quæ si perfecerit, & post consuetum examen dignus videatur, Baccalaureus esto; ita tamen quòd priùs respondeat quæstioni, & stet in quadragesima more consueto usque ad postremum actum, & super his cautionem realem exponat.

II. Præterea unanimi Magistrorum Regentium & Non-regentium consensu statutum est & ordinatum, nè Baccalaureus quispiam publicis supplicationibus seu actibus quibuscunque in caputio suo aut habitu scholastico alio utatur quàm furruris solùm buggeis aut agninis.

III. Singulos insuper qui hîc gradum aliquem subituri sunt astrictos & devinctos esse volumus, ut statuta, ac istius Universitatis probatas consuetudines pro viribus observent, útque ejusdem Universitatis pacem nullius rei prætextu perturbent, quin eos qui sic pacem perturbare noverint ad Cancellarium seu ejus vices gerentem quamprimum deferent; quòd denique honorem hujus Universitatis nostræ pro virili augeant ornéntque.

IV. Statuimus etiam quòd unusquisque ad respondendum quæstioni post ultimum actum & ante decimum quartum *Januarii* admissus, virtute juramenti Academiæ præstiti obstringatur se neque hîc neque Oxonii cùm gradum Magisterii ambiat terminorum computum facturum ab admissione, sed a finali determinatione in quadragesima admissionem suam subsequenti.

V. Denique statuimus & ordinamus quòd quilibet Graduatus dum moram traxerit in nostro municipio, habitum habeat de proprio, gradui suo competentem, quo publicis supplicationibus, sermonibus ad Clerum, Vesperiis quoque, atque inceptionibus illius facultatis cujus est scholaris interesse strictiùs obligetur.

VI. Postremò statutis nostris cautum est, nè quis hîc ad gradum aliquem admittatur, nisi se obedientem fore Cancellario aut ejus vices gerenti juraverit, séque simpliciter atque ante omnia sua privilegia renunciaturum in quantum privilegiis & statutis Universitatis contrariantur: salvâ tamen semper compositione inter Universitatem & Collegium Regale factâ.

Jurabis quòd hæc omnia observâsti & observabis, nisi aliter per gratiam per Academiam concessam dispensatum tecum fuerit, sicut te Deus adjuvet, & sancta Dei evangelia.

Jurabis etiam quòd in conscientia tua agnoscis Regem esse, & juxta verbum Dei esse debere supremum gubernatorem Ecclesiarum magnæ Britanniæ, & Hyberniæ, in omnibus causis tam Ecclesiasticis, quàm Civilibus: nec ullum alium externum Principem, Pontificem, aut Prælatum, ullam habere, vel habere debere authoritatem infra hoc regnum magnæ Britanniæ, & Hyberniæ, sicut te Deus adjuvet, & sancta Dei evangelia.